quæ non habent, & illis aufert virtutes, & eximias qualitates propter quas celebrantur, & quin illos ſibi proponat ut debet, objectum caritatis, & admirationis, illos tanquam odii ſui, atque contemptus objectum intuetur. Tamen nonne lacrimis effuſis deplorandus eſt, eo quod illius fides, atque religio ita fuerit extincta, ut ſibi religioni minime vertat excipere eo pacto, quo nollet inimicos ſuos, illos, quos a Deo jubetur in Patris, fratrumque loco habere, & non vereatur incidere in eas pœnas, atque ſupplicia, quæ Deus intentat illis, qui in id genus peccata labuntur? *Cum detractoribus non commiſcearis; quoniam repente conſurget perditio eorum*; (*Prov.* 24.) inquit Spiritus Sanctus per os Sapientis. Sedulo, Sanctus Religioſus noſter hujuſmodi cœtus evitabat, veritus, ne ſi pravis eorum ſermonibus aurem præberet, ſeſe hoc pacto corrumperet. *Idem.*

Deus non exigit a Religioſis om-

Si vos terret, Auditores, tot officiorum aſpectus; ſi hæc præceptorum multitudo vobis vires veſtras videtur excedere; ut vos liberem a cogitatione hac, quæ vobis negotium faceſſit, & prohibeam, ne animos deſpondeatis, ac in hanc incidatis diffidentiam, quæ vobis figit crucem, dicam, Deum non eamdem exigere perfectionem ab illis, quos ad hunc perfectionis ſtatum appellat, neque ab omnibus indiſcriminatim exigere æqualem virtutem; neque illum omnes deſtinaſse ad eumdem Religionis gradum; & licet ne unus quidem ſit, qui ad exemplum Sancti Cœnobitæ noſtri non teneatur ad perfectam contendere humilitatem; tamen non omnes teneri ad illius adquiſitionem; & modo quantum in ipſis eſt eam aſſequi contendant, & ſummo niſu ſinceraque voluntate ad id omnia adhibeant adminicula, & eam praxim ſequantur, quam Regula ipſis præſcribit, reſpiciet Deus diſpoſitionem cordis eorum, pietatem illorum remunerabitur, ejuſque rationem habebit, quaſi in illorum intentionibus, ac deſideriis eſset perfecta: *Jugis ad perfectionem conatus pro perfectione putatur*. (*S. Bernard. epiſt.* 253.) Nos autem vere dicere poſsumus de Sancto noſtro, illum brevi adeptum eſse hanc perfectionem, ad quam tot Sancti Cœnobitæ contendunt. *Idem.*

nibus eumdem perfectionis gradum.

MISSIONARII, ET APOSTOLICI VIRI.

De miſſionibus Apoſtolicis.

Eccleſia, quæ in omnibus cæremoniis ſuis nihil niſi Chriſtianiſmi gloriam, & fidelium ſanctitatem reſpexit, nequaquam ſatis eſse putat Divini verbi pabulo adultos alere, & conſulere eruditioni puerorum aliorumque ſimplicium, ac rudium, extendit zelum ſuum uſque ad infideles, & ad Nationes remotiſſimas, barbaraſque, per Miſſiones, quas Viri Apoſtolici quovis tempore ſuſceperunt, & ad hanc quoque diem ſuſcipiunt, quod in Catholica tantum videtur Eccleſia: nam licet Proteſtantes, aliique cœtus, qui Eccleſiarum nomen ſibi vendicant, penetrarint quidem ad Indos, Sinenſes, Japonios, aliosque populos maxime barbaros, cum quibus mercaturam exercent, ignorari non poteſt, illuc ſe ſe conferre negotiorum cauſsa, & divitiarum, propter quas longa illi ſuſceperunt itinera, non autem propter zelum annuntiandi Fidem, & Chriſtianam Religionem, cujus nullum adhuc extat exemplum.

Sed Eccleſia Romana zelo, quem ſemper præſetulit, extendendi quocumque fidem, merita eſt Catholicæ nomen, quod gerit, mittens in univerſam terram Miſſionarios, non aliam ob cauſsam, quam ut illuc inferat Jeſu Chriſti cognitionem, & annuntiet Chriſtianas veritates populis, qui nunquam de illis verba fieri audiverunt.

Apoſtoli hac mente ad extremas uſque Mundi plagas ſe ſe contulerunt, & ideo *Apoſtoli* vocati ſunt, videlicet *Miſſi*; & eadem ex cauſsa hodierna adhuc die Miſſionariorum nomine nuncupantur illi, qui eorum ſequuntur veſtigia, & qui fidem annunciant populis, quos primi etiam ignorarunt Apoſtoli. Namque poſtquam novus Orbis detectus fuit in Inſulis, quæ ne ex nomine quidem agnoſcebantur, & in America tota quamplurimi Miſſionari excoluerunt Nationes integras, & auxerunt Jeſu Chriſti Regnum in terris; quod aliud non eſt, niſi hæc eadem Eccleſia.

Inſtituenda eſſet hiſtoria ditionum omnium, quæ fidem amplexæ ſunt, & habendus cenſus converſionis earum, quam Miſſionarii operati ſunt; quod vero ad noſtrum pertinet argumentum, eſt, quod hic idem zelus adhuc viget cum eodem fructu in Eccleſia Catholica, ubi recentes Apoſtoli, Miſſionarii nuncupati, idem munus exercent; ut hortamur illos, quos Deus non appellavit peculiari vocatione, ad Cælum ſollicitandum, ut multiplicet hos operarios, qui hoc tempore non minus ſunt neceſſarii, quam eſſent; cum Salvator dicebat Apoſtolis: (*Meſſis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in vineam ſuam.* (*Matth.* 7.) *Auctor recens.*

Zelus Apoſtolorũ pro converſione populorum.

Apoſtoli ſunt Principes Spirituales terræ totius a Jeſu Chriſto inſtituti, tanquam Miniſtri ipſius ad inſtituendas Eccleſias in nomine ſuo, ad Evangelium prædicandum, & populos convertendos. Sicut Legatus obit Domini ſui negotia cum poteſtate, & auctoritate, in omnibus quæ ſibi demandata ſunt, Principis perſonam repræſentans: ita Apoſtoli mundum convertebant, & quocumque afferebant Evangelium, ut congregarent homines in unam Eccleſiam per fidei unitatem, & Jeſu Chriſto Magiſtro, dominoque ſuo plurimas animas lucrarentur. Ex quo Apoſtoli ſe ſe devoverunt Jeſu Chriſto, maximum eorum conſilium fuit zeli ſui ſpecimina illi præbere; extremas uſque terrarum plagas adierunt, ut ibi quærerent idololatras, quos erudirent, & peccatores, quos converterent. Viſi ſunt mundum peragrare acti hoc Spiritu, ut univerſæ terræ nuntiaret Evangelium. Operabantur quidem miracula, quæ ſtuporem populis injiciebant; imperabant ventis ac tempeſtatibus, & natura quodammodo illis ancillabatur; ſed eorum zelus & caritas major erat miraculis eorum. Hic autem zelus efficiebat, ut cum voluptate ſacrificarent honorem, vitamque ſuam, ut ferrent lumen Evangelii ad Nationes maxime diſſitas, & educerent eas ex cæcitate, in qua erant; & nihil melius perſuadebat Evangelium, quam zelus & caritas prædicantium illud. *Idem.*

Zelus Sancti Pauli.

Satis cogniti ſunt labores, curſus, & multitudo populorum, quos Sanctus Paulus convertit, ut nobis perſuaſum ſit jure illi Magni Apoſtoli, vel Apoſtoli per antonomaſiam nomen factum. Sed unus ille nobis exprimere potuit cordis ſui ſenſus, & ardens deſiderium, quo fratrum converſionem, & Deo animas lucrari cupiebat. Hoc ille præſefert in pluribus locis Epiſtolarum ſuarum, ſed præſertim in prima ad Timotheum: Noſmet humiliavimus tanquam pueri, habuimus ergo nos ſenſus eoſdem, quos Mater, quæ alit, & unice amat filios, quos edidit in lucem. Ita præ amore, quo vos proſequimur, optaſſemus dare vobis non ſolum Evangelii cognitionem, ſed propriam etiam vitam, tanta erat caritas, qua vos complectebamur. Meminiſtis jam laboris, & anguſtiæ, quam paſſi ſumus, & quo modo vobis prædicavimus verbum Dei, operantes die & nocte, ne graves eſſemus cuiquam veſtrum. Vidiſtiſne unquam majorem ſollicitudinem, zelum, amorem? Zelus illius cogebat eum, ut omnes indueret formas; ut ſe fratribus ſuis acceptum redderet. Se humiliat, ſe ad pueri conditionem dejicit. Nullus unquam amor major eſt, aut ſollicitior, quam amor Matris. Talis eſt amor Sancti Pauli. Effectivi amoris ſolidum argumentum eſt, cum quis paratus eſt, ut vitam impendat. Pluries innotuit, affectionem hanc jugem fuiſſe in corde magni hujus Apoſtoli. Quorſum omnes hæ ſollicitudines? Quorſum hæ curæ? niſi quia S. Paulus flagrat amore fratrum ſuorum. Tantus eſt zelus ipſius, ut nullam illi requiem permittat. *Idem.*

Exprobratio Filii Dei ad operarios negligentes.

Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis. Hoc exprobrare poteſt Dei Filius illis, qui Evangelicis ſeſe implicuerunt miniſteriis, & animarum ſalutem negligant, vel qui oſcitanter munus hoc tantæ neceſſitatis adimplent: *alii laboraverunt.* Tot homines vero zelo acti, curis, laboribuſque confecti ſunt, ut fratrum ſalutem procurarent; vos autem annos veſtros, totumque vitæ ſpatium tranſigetis in otio ad conſpectum agri, labores manuſque veſtras petentis? *Alii laboraverunt.* Alii ſudorem laboremque paſſi ſunt; vos autem otio marcebitis, & amabitis requiem, quin cogitetis, labores Dei inutiles futuros, eo quod ſecundum ejuſdem finem, & conſilium laborare ceſſabitis? Mihi quidem exprobratio videtur terribilis his Domini verbis contineri: *Meſſis quidem multa, operarii autem pauci.* (*Matth.* 9) Habeo quidem agros ingentes, qui uberem meſsem pollicentur: fundus quidem eſt ſterilis; Cæli influxus benefici, magnus fidelium operariorum numerus ſatis felicem meſsem retulerunt, & diurnum opus ſuum compleverant; ſed illi, quos conduxi, ut opus ad optatum finem perducerent, ne manum quidem admovere dignati ſunt. *Auctor recens.*

Electio Virorum Apoſtolicorũ a Deo facta.

Venite, faciam vos fieri piſcatores hominum. Hæc verba ſunt, quæ Salvator dixit nonnullis Apoſtolis, ut illos ad ſui ſequelam invitaret, promittens ſe immutaturum conditionem illorum, & piſcatores piſcium ſe in hominum piſcatores converſurum: videlicet in homines hominibus convertendis, & pertrahendis ad Dei cultum deſtinatos. Hæc autem verba non ſolum indigitant electionem ab eo factam Virorum Apoſtolicorum, verum etiam eximias conditiones vocationis eorum, *Venite.* Illi quos Dei Filius evocat, ſtatim obediunt, nihil cauſantur, non ea, quibus premuntur negotia, non ineptitudinem, non difficultates, quas timere poterant in novo hoc munere: *Venite poſt me.* Non vocat illos, ut ambulent per ignota viarum ſine duce; ſed ut ambulent poſt ſe iter illis oſtendentem: *Venite poſt me.* Non jubet eos facere plura iis, quæ ipſum viderint facientem. Nullum ſuſtinebunt laborem; nullum periculum adibunt; nullum patientur incommodum, quod ille primus non patiatur; verum etiam illis non proponit præmium minus illo, quod ille ipſe fuerit conſecutus. *Idem.*

Apoſtolici Viri Salomonis templo comparati.

Narrat Scriptura de inſigni Salomonis Templo, aurum, pretioſos lapides & pulcherrima ornamenta illuc allata fuiſſe ex remotiſſimis terrarum plagis; at non vereor dicere, in cæleſtis Jeruſalem ſtructura, cujus Templum illud erat imago locupletiſſima illius ornamenta futura animas, quæ in extremis

tremis uſque orbis terrarum finibus conquiruntur; licet enim omnes æque pretioſæ ſint coram Deo, qui illas ſuo redemit ſanguine, raritas tamen commendat pretium, & tot labores, qui ad illas conquirendas ſuſtinentur, eas efficiunt pretioſiores. Quamobrem tot Miſſionarii officio ſuo deeſſe arbitrarentur, niſi ferrent verbum Dei ad Gentes derelictas ac tot barbarorum nomina non ſunt modo ignota, quia eas cognoſcimus regiones, quo hi Viri Apoſtolici ad Evangelium prædicandum concedunt. *Idem.*

Cur noluerit Deus re adhuc integra eligere doctiſſimos Oratores ad Eccleſiam conſtituendam.

In inſtitutione Eccleſiæ, in qua Dei gloria præſertim enituit, noluit ille uti opera Sapientum mundi, ne, ſanctus Paulus ait, Sapientes iſti, doctique Oratores, & ingenia præſtantia, ſibi honori verterent, quem cum nullo partiri vult, & quem a nemine ſibi præripi patitur. Sed temporum decurſu conſilium invertit, & ad reparandam gloriam, quam hominum peccata ſibi eripiunt, ad illam augendam, & latius proferendam, procurans converſionem peccatorum, ſalutem populorum, & morum reformationem, elegit Viros abſolutiſſime doctos & prudentes, quos ipſe ſublimibus ſapientiæ ſuæ luminibus illuſtravit, ac replevit Spiritu ſuo, ut in Eccleſia ſua facerent, quod in Cælo faciunt primi Ordinis intelligentiæ; videlicet, ut reflecterent in alios lumina, quæ magis immediate receperunt a Deo, & immitterent cognitionem, & amorem illius in reliquos homines, qua in re ſita eſt omnis gloria, quam illi procurare poſſunt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quinam ſit zelus Apoſtolicorum Virorum.

Ubi cogito hos Apoſtolicos Viros, dignos Apoſtolorum ſucceſſores, qui eorum veſtigiis inſiſtere ſunt orſi, & qui eodem zelo divinæ gloriæ inflammati ſunt, illos, inquam, cogito tanquam pedem efferentes de Cœnaculo, ut ſeſe in omnes Terræ nationes effundant: & videor mihi illis ea Prophetæ verba dicere poſſe: *Ite Angeli veloces.* (*Iſaiæ* 18.) Ite Angeli, & Apoſtoli: Quandoquidem nobis conjungenda eſt Angelorum velocitas cum ardore, & zelo Apoſtolorum. Ite, & nolite ultra ceſſare: Quo autem? *Ad gentem convulſam, & dilaceratam.* Modo ad Orientem, ubi Chriſtianiſmus labitur, ex quo non innititur ſuper firmam petram, ſuper quam Dei Filius ædificavit Eccleſiam ſuam: *ad gentem dilaceratam.* Modo in plagas boreales, ubi ſchiſma & hæreſis tot florentia Regna in tot partes dilacerarunt, quot ſunt ſententiæ, in quas abierunt: *Ad populum terribilem*; ad populos, quorum ſola nomina aliis terrorem incutiunt, & quorum crudelitas efficere poteſt, ut fortiſſimus, & audaciſſimus quiſque contremiſcat: *Ad populum, poſt quem non eſt alius.* Opus eſt, ut hi tranent maria, & ad extrema terrarum litora penetrent, novas detecturi plagas, & eo Dei gloriam prolaturi: *Ad gentem expectantem, & conculcatam.* Illi vero præſto eſſe debent, ut ſe conferant modo ad Nationes, quæ nobis brachia tendunt, & modo ad illas, ubi cruentiſſimæ perſecutiones Eccleſiæ inſtaurantur. Verbo, erudiendi & illuminandi ſunt promiſcue, & ſine perſonarum acceptione omnes populi: *Non patiamur aliquem in ignorantiæ tenebris vivere*, inquit ſanctus Cyrillus Alexandrinus; neque Solem lucere gentibus, ad quas non afferatur lux Evangelica. Hoc facinus quantam præ ſe fert animi magnitudinem! ſed hoc medium, quod tot Apoſtolici Viri aggrediuntur, quantum ſapientiæ & prudentiæ præ ſe fert! *Idem.*

Quinam fuerit Apoſtolicorum Hominum ſucceſſus?

Licet nec argumentum, neque effectus prudentiæ ſit, Auditores, ſpondere de ſucceſſu operum quæ peragenda ſuſcipimus; quoniam deficere poſſunt ex iis locis, quibus tutiſſime conſuluiſſe credimus; cum nihilominus ex eventu plerumque de illis feratur judicium, vobis non propoſuiſſem abſolutiſſimam imaginem ſanctæ prudentiæ, niſi aliquem vobis conceptum adſtruerem conſiliorum tot Virorum Apoſtolicorum, ac tot mediorum, quibus uſi ſunt, ut illa exequerentur; aliquem, inquam, conceptum; nam ut ea vobis ſingillatim oculis exhiberem, ſolum vobis veluti tabula exhibendus eſſet ſtatus deplorabilis, ad quem duobus noviſſimis Eccleſiæ ſæculis Religio, quæ, ut loquitur Paulus III. in Bulla Convocationis Tridentini Concilii, malorum multitudine obruta erat; & deinde vobis oſtendenda eſſet medicina, quam ſancti illi Præſules malis omnibus, curis, laboribuſque ſuis attulerunt. Lutherus omnem ſuſcitat Germaniam; Anglia erumpit in ſchiſma eo periculoſius, quod auctorem habebat Regem, qui ſcriptis Religionem tutatus fuerat. Gallia incipit ſequi hæreſim Calvini; neque aliud videtur ubique gentium, quam exilia veſtigia zeli antiqui, qui olim animabat Paſtores ad tuendam miniſterii ſui ſanctitatem. Clerus iis abditus erat flagitiis, quæ colorem, & occaſionem univerſali huic perturbationi rerum omnium præbet. Ordines Religioſi, vel laxitate ſua, vel ſolitudine, & obſervantiis ſuis prohibentur, ne ferant ſuppetias, & ſe objiciant furenti colluvioni tot hæreſum, quæ repente ingruerunt. Quodnam ſatis validum vallum ad torrentem hunc inhibendum? Ubi inveniri poteſt tot malis medicina? quomodo tot calamitatum origo exhauriri? Moyſes quærendi erant, ut educerent populos de captivitate; Joſue, qui pro Domini gloria dimicarent; Homines ſuccenſi zelo Domus Dei, ut tanquam Elias vitio bellum indicerent. Deus autem ſummorum horum Virorum virtutes collegit ut domum Iſrael repararet, & ſuſtineret Eccleſiam ab ipſis uſque fundamentis concuſſam. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Quænam futura ſit gloria, &

Cum venerit tempus meſſis quænam ſummis his Apoſtolicis Viris erit gloria, cognoſcendum dediſſe Filium Dei tot nationibus? & quæ conſolatio, feciſſe ut ex illius ſanguine fructus perciperetur? Tunc, Magnus inquit Gregorius, offerent ſe Deo omnes Apoſtolici Viri; *Ibi Petrus*, ait ille, *cum Judæa apparebit: ubi Paulus converſus poſt ſe ducens orbem: ibi Andreas Achajam, Joannes Aſiam, Thomas Indiam, in conſpectum ſui Judicis adducet:* aliique Apoſtoli terras ubi fidem plantaverunt & excoluerunt; Summi Viri! Apoſtoli incomparabiles! vos non vacuis manibus apparebitis; quandoquidem nil minus, quam mundum univerſum oſtentabitis, qui campus erit gloriæ veſtræ, ſicut fuit olim veſtræ miſſionis; vobiſque dicere poteritis, quod de ſe Paulus dicebat: *Etſi minimus ſum omnium Apoſtolorum, plus tamen omnibus laboravi.* (1. *Cor.* 15.) *Idem.*

lætitia Hominũ Apoſtolicorum die Judicii.

Quid conſtituat characterem Hominum Apoſtolicorum.

Evangelii prædicatio, & miniſterium verbi Dei conſtituunt verum Apoſtoli characterem; per hoc novas inſtituit Eccleſias; & conſiderari poteſt ſeorſim tanquam inſtrumentum converſionum, & prodigiorum, quæ peculiariter facit: *Paulus vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Evangelium Dei.* Qua in re ad gloriam horum Apoſtolorum hominum dico, quod cum per ſe ad ſacrum hoc miniſterium attulerint fidelitatem prorſus ſimilem illi S. Pauli; mirum eſſe non debet, ſi quotidie eumdem obtineant ſucceſſum. Hanc autem fidelitatem colloco: primum in annuntiando promiſcue univerſo mundo Evangelium, quin habeant injuſtam hanc perſonarum acceptionem, quod ii faciunt, qui nitorem potius quærunt quam fructum in hac divini verbi diſtributione, & qui nonniſi humanos habent reſpectus, qui tanti muneris ſanctitati nequaquam reſpondent. Sancti Miſſionarii S. Pauli exemplum ſecuti illud indiſcriminatim prædicant omnibus mortalibus, ſine locorum diſtinctione, vel perſonarum, Evangelii lucem ferentes modo in eas plagas, quæ ſolis ardoribus æſtuant, modo apud illos, quos natura a nobis totius mundi intervallo ſecrevit. Indi, Europæi, Japonii, nullo ſunt illis in diſcrimine, dummodo animas lucrentur Deo, niſi forte eorum ſtudium libentius eos rapit ad populos maxime barbaros, & derelictos. Ubicumque animas Deo lucrari, eorum munus eſt, & officium: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* (*Eccl.* 17.) Sed illos in extremis uſque plagis conquirere, ſed illos ex dæmonis faucibus exculpere de centro imperii illius, hæc illuſtris victoria eſt. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Mundi converſio effectus eſt verbi Dei in ore Apoſtolorum.

Inſignis effectus Verbi Dei, prodigium prodigiorum, quod per illud pepererunt Apoſtoli miraculum, quod mentibus quibuſcumque ſtuporem injecit, eſt mundi converſio. Aſſerere bis ſenos pauperes Piſcatores effeciſſe, ut mundi totius mutaretur Religio, quæ una ratio eſt credulitatis fidei noſtræ; ita ut nulla rationabilis adſit mens, quæ victas dare manus non debeat. Heu! quid dicetis Auditores videntes tot Apoſtolicos viros adhuc quotidie in mundo recens detecto ſimilia operari? Noviſſimis hiſce ſæculis inſtaurarunt quidquid in ipſo Chriſtianæ Religionis ortu admirabilius contigit. Ita poſt Eccleſiam inſtitutam, quod Dei opus eſt; quodnam mirabilius prodigium accidit, quam videre homines, qui doctrina dumtaxat pollent plantare fidem in pluſquam centum Regnis, enunciare Evangelium varietate linguarum plus quam triginta, proferre trophæa Filii Dei ultra duo leucarum millia, longius quam veteres Geographi terrarum fines extremos conſtituerunt, & propriis manibus integras nationes baptizare? *Idem.*

Qua in re Apoſtolici viri ſint imitandi.

Equidem ſcio, lectiſſimi Auditores, ad imitandos hoſce Apoſtolicos viros, non omnes poſſe prædicare Evangelium, neque apud idolorum cultores fidem inferre; ſed vobis quoque ſciendum eſt, unumquemlibet eſſe poſse Apoſtolum in domo ſua, S. Ambroſius ait, ubi aliorum converſionem procuret exemplis, conſiliis, doctrinis, & ſalutaribus monitis. Ita vos eritis qualitatis hujus participes, cum domeſticos, & omnes illos, cum quibus verſabimini, ad virtutes impuleritis exemplo vitæ veſtræ; cum zelum teſtati fueritis ad prohibenda ſcelera iis in locis, ubi aliquam habetis auctoritatem, & cum quocumque modo conati fueritis aliquid ad proximi veſtri ſalutem conferre. Non quæritur ex vobis Matronæ ornatiſſimæ zelus ſanctæ Thereſiæ, quæ nulla habita ratione ætatis, vel ſexus ſui, migrare cupiebat in exteras, barbaraſque terras, ut illuc Apoſtolorum exemplo fidem inferret; non deerit vobis, ubi illam exerceatis, quin peregre proficiſcamini; quantum in vobis eſt, conamini ſolum inſpirare pietatem, ac devotionem in cœtus illos, in quibus verſari vobis in more eſt; ſinite vos aliquando videri adeuntes Carceres, & Noſocomia ad opem, ſolatiumque ferendum pauperibus & ægrotantibus. Hæ ſunt actiones dignæ ſtatu, & conditione veſtra: & ad hunc Apoſtolatum alia miſſione opus non eſt, quam illa, quam vobis dedit Deus præcipiens, ut vobis curæ ſit proximi ſalus: *Mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* (*Eccl.* 17.) Præſertim vero ſi nobis deeſt animus, & occaſio ſuſcipiendæ converſionis omnium mortalium, certum nobis ſalutem ſit conſilium ex corde ſalutem noſtram operandi. Summi iſti Apoſtolici viri, non minus noſtram quam Indorum, & Barbarorum ſalutem concupiſcunt, & hodierna die, qua Deus cupit efficere ut eorum zelus magis, quam unquam admirabili converſionum numero eniteſcat, nullus dubito ſi acceſſerit ſubſidium precum, & eleemoſynarum noſtrarum, nos quoque futuros participes meriti eorum in vita hac, & eorum gloriæ in altera. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

De miſſione, & vocatione h-

Neceſſe non eſt, Auditores, hoc loco vobis oſtendere, quænam ſit miſſionis neceſſitas, quæ nomen tribuit Apoſtolo, & quæ

minum Apoſtolicorum.

quæ re ipſa præcipuam illius conditionem conſtituit, ſi hoc nomen in propria ſignificatione accipiatur: videlicet pro facultate annuntiandi fidem, quæ danda eſt ab legitimam auctoritatem habente; & ſatis eſt, ipſum S. Paulum teſtari, id ſi deſit, verum Apoſtolum haberi non poſſe: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* (*ad Rom.* 10.) Dici poteſt quamplurimos Apoſtolicos homines accuratiſſime hoc officio perſungi: vix enim ad munus hoc obeundum addunt operam, ea miſſione, quam ordinariam ſimul, & extraordinariam vocare poſſum, cum re adhuc integra ſpectant quanam in terrarum parte zelum ſuum debeant exercere. Sed vocatio procul dubio illud eſt quod ante cetera in Apoſtolo requiritur; ad id enim opus eſt viris, qui ſingularem habeant characterem, & ita eximiam virtutem, vim, animumque ita heroicum, ut dici poſſit hoc eſſe miraculum gratiæ illos vocantis, & opus Dei, qui illos ad hoc munus effinxit. Videmus etiam Deum illos ne cogitantes quidem inquirere, & ſæpe etiam cum remotiſſimi ſunt, & maxime adhærent mundo per ea vincula, quæ difficilius franguntur, & nonnunquam etiam cum apertiſſimi ſunt inimici, ut olim S. Paulus. Quamobrem S. Auguſtinus dixit, hoc illud eſſe, in quo maxime elucebat ſuprema illius poteſtas, atque triumphus gratiæ, mutandi perſecutorem, quod etiam dici poteſt de homine ſæcularibus curis impedito, in Apoſtolum. Tamen citra errorem aſſerere poſſumus, illum admirabili ſupernaturalis Providentiæ ſuæ conſilio, noſſe ita gratias ſuas accommodare eorum ingenio, quos ad hoc miniſterium appellat, ut cum nanciſcitur corda generoſa, animoſque magnos, hi objectum dumtaxat mutant, quin mutent characterem, & magnanimum hunc ardorem ſervant in omnibus actionibus ſuis. Hinc non unius generis ſunt Heroes, & tota virtus heroica non in eo ſita eſt, ut armis Regna adquirantur: quippe Chriſtiana Religio plurimos peperit, qui illis animi robore non cedunt, quo in ordine Apoſtolicos viros recenſeo. *Idem.*

S. Dionyſius perfectum Apoſtolicorum virorum exemplar.

Cum vir eruditus, qui in errore verſatus eſt, ſe convertit, poſtquam plures habuit in errore ſuo ſectatores, plurimos etiam ſecum trahit ſuæ converſionis imitatores. S. Dionyſii, exempli gratia, converſionem longe plures ſubſecuti ſunt eorum, quos ſuo traxit exemplo, judicatum fuit tantum virum nequaquam amplexum fuiſſe Religionem novam, niſi illius veritate prorſus perfecta, & detecta illius, quam abdicabat, illuſione. Lumen ejus æque ſeſe effudit, ac tenebræ: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* (*Pſal.* 138.) Areopagi partem convertit, lumen veritatis in Græciam univerſam effudit cum ſuæ converſionis rumore, quem loci auctoritas, qua pollebat, cum doctrinæ celebritate in omnes fere partes diſſeminavit. *Divinorum*, ait ille, *diviniſſimum eſt cooperari Deo ad ſalutem animarum.* Hoc munus fuit S. Dionyſii poſt Converſionem; quemadmodum habebat zelum immenſum, unum illi Regnum ſatis non fuit. Miſſus fuit in has Provincias, in quibus incolebant populi a Græcis, Romaniſque Barbari nuncupati. Nequaquam expavit audiens quæ ſibi nuntiabantur de hac terra, incolas ſuos devorante; vel de catenis, perſecutionibus, & morte, quæ ipſum manebant. Occurrit ille crucibus, æquuleis, fornacibus ardentibus, & omnes aquæ tribulationum congregatæ caritatis ardorem ejus non valuerunt extinguere; *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* (*Cant.* 8.) *Specimen Panegyric. Oration. T.* 2.

Quomodo S. Paulus hortabatur diſcipulum ſuum ad verbum Dei prædicandū.

Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos; per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina: erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, miniſterium tuum imple. Hæc omnia deſcripta ſunt ex epiſtola 2. S. Pauli ad Timotheum diſcipulum ſuum. Poſtquam illum hortatus eſt ad diſcendam Sacram Scripturam, ſuadet, ut doceat alios & omnibus Apoſtoli officiis perſungatur. Obteſtatur autem illum *coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos, & mortuos*, ut prædicet verbum Dei, idque faciat *opportune, & importune*, hoc eſt cum aſſiduitate, & perſeverantia, quin aliquid illum ab hoc munere divellere valeat, quod præcipuum eſt in ipſius miniſterio, *opportune*, cum homines ita affecti eſſe videntur, ut inde proficiant; *importune* vero, cum non ita eſſe videntur. Deus enim non ſemper ſequitur noſtram cogitationem, & ſæpe opus ſuum perficit, cum nihil a noſtro ſperamus. Igitur Evangelium importune prædicare, eſt in Deo magis, quam in ſe ipſo confidere; eſt in id unum incumbere, ut miniſterii tui officiis perſungaris, eſt vere diligere eos, ad quorum ſalutem tibi laborandum eſt. Illis, S. Auguſtinus inquit, veritas nuntianda eſt, velint, nolint; quoniam admonendi ſunt de officiis ſuis, cum obliviſcuntur eorum, & invitis etiam propinanda ſunt pharmaca, quibus valeant ſanari. *Annus Chriſtianus Tourneaux Tomo nono.*

Rationes, quæ impellere debent viros Apoſtolicos ad annuntiandū Evangelium.

Viri Apoſtolici eo majori cura animum appellere debent ad veritatem hominibus annuntiandam, quo pauciores ſunt, qui illam annuntient: Nam cum homines nolunt audire niſi quod illis placet, & quilibet ſibi quærit Magiſtrum, vel Directorem, qui permittat, ut ſinguli ſuam ſequantur voluntatem, ſuiſque indulgeant cupiditatibus; pauci ſunt veritatis prædicatores, quia pauci ſunt illius auditores. Quicumque prædicat ob avaritiam, vel ut ſibi nominis celebritatem adquirat, placere volunt; qui nonniſi mediocriter amant veritatem, illam non audent diſcere, cum diſplicet: & exigua ſupereſt manus fidelium miniſtrorum Jeſu Chriſti, qui neque ambitioſi, neque cupidi, neque pavidi ſeſe objiciunt corruptioni ſæculi, & pure Dei Verbum annuntiant. Vult autem S. Paulus ab illis inceſſanter nuntiari veritatem; quia ſoli ſunt, a quibus homines illam diſcere valeant. *Idem.*

Cur Spiritus Sanctus communicavit Apoſtolis donū linguarum.

Miſit Deus Spiritum Sanctum in mundum in formam ignis, & linguarum ad expiandum, inflammandum, & addendum robur Diſcipulis ſuis, per ignem caritatis, & linguarum donum daturus facultatem prædicandi omnibus mundi nationibus gratiam Evangelii. Hoc ipſum illis præcepit Salvator, apud S. Marcum dicens: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ*; (*Cap.* 16. 15.) ita ut qui cognoſcebatur ſolum in exiguo Judeæ angulo, prædicetur in univerſo mundo, & nulla ſit creatura, quæ gratiam hanc non recipiat. Sed apud S. Matthæum hoc ipſum pluribus imperat; *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra;* (*Matth.* 18.) certos illos faciens illis non eſſe metuendas mundi oppoſitiones, neque difficultates, quæ illis in hoc opere poſſent accidere: quoniam illi fulciebantur illius gratia, in cujus manibus erat tota cæli, terræque poteſtas. Et ne putarent, favorem hunc ad breve tempus duraturum eſſe, ſubdit ſtatim hæc verba: *Et ecce ego vobiſcum ſum, uſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ adeo ſollemnis promiſſio cum effeciſſet Diſcipulos ſuos æque prudentes, & ſapientes, ac ſtrenuos, præcepit illis, ut in mundum univerſum ſeſe conferrent prædicaturi omnibus gentibus, eoſque baptizaturi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ una eſt ex maximis gratiis, & eximiis miſericordiis, quas a Salvatore noſtro recepimus. *Ex Granatenſis Catechiſmo.*

Jeſus Chriſtus poſt paſſionem ſuam præcepit Apoſtolis ſuis, ut irent ad prædicandū Evangelium in omnem terram.

Conſiderandum eſt, Jeſum Chriſtum mittentem diſcipulos ſuos ad prædicandum antequam ille pateretur, illis præcepiſſe, ut ſatis putarent colligere oves, quæ perierant de Domo Iſrael, cum poſt ſacrificium ſuum imperavit iiſdem, ut in omnem terrarum orbem indiſcriminatim ſeſe conferrent Judæis ſimul, & gentibus, barbaris ac Scythis, allaturi bonum Evangelii nuntium, per prædicationem. Rei hujus rationem reddit Apoſtolus, ubi ait: *An Judæorum Deus tantum? nonne & Gentium? immo & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Et licet Gentiles horribilibus vitiis eſſent implicati, ac impudicitiis immerſi, Spiritus Sanctus nequaquam dedignatus eſt in monſtris hujuſmodi facere manſionem ſuam; ita ut quemadmodum dicit S. Chryſoſtomus, per gratiæ ſubſidium meretrices ipſæ fiant ſtellis cæli puriores. Hoc Deus figura admirabili oſtendit Apoſtolo Sancto Petro, cum volens illum mittere ad prædicandum in quamdam ethnicorum domum, & ſciens fore ut Apoſtolus abnueret conſueſcere cum mortalibus adeo abominabilibus, in viſione oſtendit illi linteum de cælo deſcendens plenum colubris, viperis, aliiſque beſtiis immundis, eumque juſſit illa occidere, & manducare. Sed Apoſtolo renuenti talibus dapibus uti, tanquam immundis ac per legem vetitis; reſponſum fuit: noli vocare fœdum & immundum, quod Deus ſanctificavit. Ut intelligerent gratiam Dei ita potentem eſſe, ut lupos in oves, & inſignes peccatores in Sanctos admirabiles valeat convertere. His dictis, linteum in Cælum rediit, unde fuerat demiſſum. Teſtatur Scriptura viſionem hanc ter illi apparuiſſe, cum fames illum urgeret. Hinc Apoſtolus inſignem intellexit gratiam, & Dei magnificentiam, quæ per Jeſu Chriſti merita ſeſe ad omnes mundi nationes extendebat, quantumvis abominabiles eſſent; virtus enim Sanguinis Agni ſatis erat potens ad ſæviſſimas feras in agnos convertendas. *Idem.*

Quid eſt Apoſtolus?

Quid eſt Apoſtolo perfectius? Homo eſt, qui per Cæli vocationem animabus ſanctificandis deſtinatus ad hunc finem ardenter anhelat, ita ut nihil eum valeat remorari. Nullus illum deterret labor; nullum periculum eum removet; nullus obex, qui omnino ſuperabilis non ſit illum prohibet. Animus illius nullo frangitur labore, nullis contradictionibus, perſecutionibus, violentiis labefactatur. Sed animus, & fortitudo ſola non eſt, neque eſſe poteſt præcipua regula per quam judicium ferendum ſit de Apoſtoli perfectione. Quæcumque ſit Imperatoris fortitudo, ſi præter animum hunc imperterritum, nobilemque audaciam, quæ omnia provocat pericula, non haberet congeriem aliarum virtutum, vel naturalium, vel adquiſitarum, ſine quibus non niſi temere victoriam ſe relaturum ſperare poteſt; dignitas illius longe merita ejuſdem ſuperaret. Quæcumque ſit in Miniſtro Evangelico fortitudo, niſi huic robori, & firmitati, quam nulla difficultas abſterret, acceſſerint virtutes, quæ illi deeſſe non poſſunt, quin periculum adeat nullum fructum referendi, hoc Apoſtoli nomine eſſet indignus. *Auctor Recens.*

Conceptus, qui habendus eſt Operarii Evangelici.

Fingite vobis, Auditores, hominem, qui ſeſe laboribus Apoſtolatus mancipavit, & qui tantum abeſt, ut illos mulcere ſtudeat, eorum pondus in dies augere deſiderat; hominem cujus caritas ſe ad omnes conditiones extendit; ſed qui nonniſi illorum ſanctificationem, & ſalutem reſpiciens, qui curis ipſius concrediti ſunt, nihil invenit, vel in aliquorum proſperitate, quod ipſum allicere valeat & zelum ipſius ardentiorem efficere, vel in aliorum adverſis, quod illum amovere, & caritatem ejus valeat extinguere, qui prioribus unice ex officio adhæret, poſterioribus vero eo majorem teſtatur benevolentiam, quo magis obſcuritas, indigentia, & infirmi-

tas

tas, in quibus verſantur, poſſunt illi tædium, ac faſtidium inferre; hominem, cui oppreſſio, ad quam ſæpe ſuis laboribus redigitur, ingerere nequit ſolatii alicujus deſiderium; & cui ubi agitur de laboribus pro animarum ſalute ſuſtinendis, anni tempora rigidiora, & itinera periculis propiora; manſiones ſquallidiores, & officia graviora dulcedine quadam condita videntur. Poſito, quod huic adverſentur illi ipſi, qui eidem ſubſidio eſſent futuri; quod calumniis afficiatur, quod fallax ſapientia, invidia, malignitas ubique in eum excitent inimicos, & perſecutores: quod contumeliis proſcindatur, ac male excipiatur; quod vitæ illius ſtruantur inſidiæ, & hæc omnia illum prohibere non poſſint, quominus ſua exequatur conſilia; hunccine reſpicere non poteritis tanquam invictæ fortitudinis exemplar, quæ in Evangelicis Miniſtris requiritur? *P. Eon in Panegyrico Beati Joannis Franciſci Regis.*

Malæ, quæ accidūt vitio eorum, qui Evangelico impliciti ſunt miniſterio.

Deplorabilis ſtatus eſt videre cupiditates in Evangelici miniſtri corde dominari; quia *ſicut populus, ſic Sacerdos*. Lumen mundi extinctum eſt, ſal terræ corruptum; Paſtoris vocem oves non audiunt, vel oves Paſtorem ſecutæ quærunt paſcua veneno infecta. Virtutis propugnatores ſi qui ſunt adhuc, eo redacti ſunt, ut ſatis ſibi eſſe putent gemere, & ejulatus ſuos in Cælum attollere; gratiæ, quas precibus ſuis promerentur, contemptæ ſunt; recedit Deus: non depluunt amplius in terram maledicto percuſſam, niſi aliquot roris guttæ, quæ illam non molliunt: populi cæcitate percuſſi magis, magiſque indurantur. Remotarum regionum incolæ vivunt in oblivione Dei, & Legis, & cæli iracundia in illos detonat, eo modo quo in eos, quorum flagitia imitantur. Ad hos juſtitiæ inimicos oppugnandos, proſternendum eſt vallum quod circum illos muniunt ſaltus, nemora, & montes quaſi inacceſſi; viæ nivibus obſitæ; & glacies ex majori anni totius parte; torrentes, qui magno cum impetu in profundas valles dilapſi trahunt, vel evertunt, quidquid in eorum curſu invenitur. Ecce ſtadium illud, quod omnibus Apoſtolicis hominibus aperitur, quonam oculo reſpicitur? Quam impreſſionem efficiunt in eorum mentibus, & cordibus tabulæ, quæ illis proponuntur eorum ſcelerum, quæ graſſantur in iis Provinciis, ad quas mittuntur, laborum, qui illis erunt ſuſtinendi, & periculorum, quæ illis erunt adeunda? *Idem.*

Apoſtolicus homo neminem debet repellere.

Cujuſcumque characteris illi ſint, qui ad Apoſtolicos homines confugiunt, hi nunquam renuere debent, vel illis aurem præbere, vel illis ſuam curam impendere. Hi fere homines ſunt rudes, imprudentes, indiſcreti, qui ad importunitatem uſque ſuam producant confidentiam; cum monentur tamen ut horum aliquam rationem habeant, ſi illis ſuam exprobrant imprudentiam; ſaltem per caritatis, & benevolentiæ ſigna, quæ illis præbenda ſunt, reparanda eſt etiam exprobratio facta. Eorum ruſticitas, & imprudentia in oculis hominum Apoſtolicorum illos nocentes reddere non debet. Oneroſa licet ſit immodica, quæ in ipſis eſt confidentia; operæ pretium eſt, eos minus cautos efficere, quam eoſdem aliqua impatientiæ, vel contemptus nota avertere. Semper tranquilli, ſemper ſibi æquales malle debent eorum importunitate enecari, quam viam negligere eoſdem cum Deo conciliandi. Ægri qui horrorem cient, pauperes ulceribus ſaucii, & qui citra horrorem nequeunt videri, illi ſunt, quos ex omnibus libentiſſime ſuis curis diſtinguunt. Ubi horum aliquis eorum eget auxilio, non norunt morborum contagionem, nulla intuentur pericula. In urbibus atra lue infectis in quibus ſeſe perniciſſime morbus effundit, ac injicit metum, ne quamprimum in deſerta convertatur; Apoſtolici viri nihil reformidant magis, quam ne quis ſine ſubſidio moriatur, vel quam ne ipſi moriantur pro fratribus ſuis. Dies, noctesque tranſigunt ægrotantibus aſſidentes: alienis attenti neceſſitatibus negligunt ſuas: Ut modicum alimenti recipiant, vi divellendi ſunt ex iis locis ubi rabidos morientium hauriunt anhelitus. *P. Eon in Panegyrico B. Regis.*

S. Paulus perfectus eſt Apoſtolicorum hominū prototypus.

Contradictiones dejicere non debent animum virorum Apoſtolicorum. S. Paulus, teſte D. Joanne Chryſoſtomo ſemper omnibus adverſitatibus erat ſuperior; ſingulis diebus recenti ardore plenus videbatur: *Quotidie celſior; quotidie aſſurgebat ardentior.* Injuriæ, & plagæ illi argumenta erant lætitiæ. *Verberibus, & injuriis affectus triumphabat.* Mors illi, quam vita optabilior videbatur: *Mortem potius appetens, quam vitam.* Adamante fortior contemnebat labores, atque pericula, quaſi non haberet corpus: *Adamante durior, ac velut incorporeus, labores omnes periculaque contempſit. P. Nicolaus Eon in quodam Panegyrico.*

Deſcriptio hominis vere Apoſtolici.

Hic vir fuit repletus ardore pro gloria Dei, & contemptu pro ſua; labores ipſius ſunt menſura zeli, quo pro Dei gloria æſtuavit. Huic conceptui accedat alter contemptus in quo habuit ſui nominis gloriam, quam eo uſque neglexit, ut nonniſi obſcuris applicaretur miniſteriis, eo uſque ut a ſe amoveret quidquid illi ingenii, ac doctrinæ laudem poterat promereri; eo uſque ut putaret præclare ſecum agi, cum contemnebatur; eo uſque ut ne digitum quidem moveret, ut teterrimas ſibi ingeſtas calumnias dilueret; eo uſque ut cum grati animi ſignificatione duriſſimas reprehenſiones acciperet; eo uſque ut indigniſſimas irriſiones cum oblectatione exhauriret; eo uſque ut quodammodo laudibus exciperet moleſtiam eorum, a quibus omni inquinabatur contumelia; eo uſque, ut conviciis, & opprobriis expleri non poſſet. *Idem.*

Apoſtolici viri zelus ſemper eſſe debet cum lenitate cōjunctus.

Lenitas incomparabilis condire debet omnia verba viri Apoſtolici, ita ut ſuas reprehenſiones amari faciat. Semper ſapientia ductus nunquam ita ſe rapi debet deſiderio procurandi gloriam Dei, ut obliviſcatur ea moderatione, qua cum hominibus uti debet. Pro norma ſumere ſibi debet illud S. Auguſtini effatum; nocentium errata verbis acribus, duris, imperioſis non eſſe corrigenda; *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo, iſta tolluntur.* Ut cum fructu reprehendas, hoc *magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando*, aſſequeris: & ſicubi minæ ſunt adhibendæ, ægre, gravate, & non ſine dolore adhibendæ ſunt; *Si quid minamur cum dolore* ut oſtendamus, nos non id quærere, ut metuamur, ſed Deus metuatur; *Ne nos ipſi in noſtra poteſtate, ſed Deus in noſtro ſermone timeatur.* Taliter ſe ſe gerere debent homines Apoſtolici. *P. Eon in Panegyrico Sancti Joannis Franciſci Regis.*

Ejuſdem argumenti.

Excitandæ ne ſunt animæ ignavæ, inſtabiles, infirmæ, oſcitantes, nutanteſque? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo.* Reprehendendæ non ſunt tanquam a judice ſevero; neque imperioſius tractandæ, tanquam ab hero ambitioſo. Monendæ ſunt, edocendæ tanquam a patre amantiſſimo: *Magis docendo, quam jubendo, magis monendo, quam minando.* Vitium ne oppugnandum eſt in illis, quorum voluntatem diuturnus habitus quodammodo tenet in captivitate, & quos ferox ingenium, ardens, violentum efficere videtur inacceſſos? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo.* Nihil nobis elabi permittendum eſt, quod illos valeat exacerbare. Quærendæ ſunt occaſiones de illis benemerendi. Illis teſtari debemus ipſos a nobis in pretio haberi, & nonnumquam etiam diligi, & cum illis utentes auctoritate, quam nobis tribuit Apoſtolicum miniſterium, nonniſi ea debemus uti, quam nobis tribuit amicitia. Pauperes ne lucrandi ſunt Deo? *Non aſpere, non duriter, non modo imperioſo.* Paupertas eorum apud Evangelicos Miniſtros nonniſi benevolentiæ notas ſibi debet conciliare. Debent eorum ingenium ſcrutari, ac ſeſe illi ſubmittere; illis aptare debent documenta ſua: atque ut audeant accedere, affectandi nonnunquam ſunt mores eorum, explorandæ ſunt neceſſitates, & ſancta ſollicitudine prævertenda ſunt illorum deſideria. *P. Nicolaus Eon ibidem.*

Severitas ipſa nonnunquā eſt neceſſaria Evangelicis Operariis.

Sapientia, quæ debet efficere, ut Evangelici Operarii ingrediantur vias ſuavitatis, & inſinuationis ad amorem virtutis injiciendum, efficere nonnunquam debet, ut ad ſeveritatem propendeant; magiſtrali voce loqui debent, imperare, minitari; ubi cauſſa non deeſt arbitrandi, fore periculo proximum, vel inutile adhibere tantum conſilia, preces, verba amice prolata, ſed ſicut nunquam ita indulgentes eſſe debent, ut robore careant; ita neque decet tanta uti ſeveritate, ut carere indulgentia videantur. Severitas lenitatem, & lenitas temperare debet ſeveritatem, & tunc etiam cum firmius contra vitia exardeſcunt, nunquam niſi ægre, & velut inviti, minitari debent: *Si quid minamur, cum dolore fiat.* Non igitur illis quærendum eſt, quomodo in alios ſui terrorem incutiant: ſed quomodo inſpirent metum ſalutarem, qui ad veram Sapientiam diſponit: *Ne nos ipſi in noſtra poteſtate: ſed Deus in noſtro ſermone timeatur. P. Eon in Panegyrico Beati de Regis.*

PRO

PRO COMMUNI VIRGINUM

Sæcularium, & Regularium.

MONITUM.

EX quo glorioſa Dei Genitrix extulit Virginitatis vexillum, quæ virtus opprobrii loco in veteri lege habebatur; in nova viſa eſt infinita Virginum ſexus utriuſque copia præſtantiſſimam hanc virtutem exercens. Evangelium illam laudibus celebravit; S. Paulus illam docuit tanquam præſentiſſimum medium ſeſe conjungendi cum Deo, eique ſerviendi ſine ulla partitione, ac diviſione, ac tandem illius praxis commendata fuit, tanquam altiſſimus Evangelicæ perfectionis gradus. Hinc illi, qui ad editiorem Sanctitatem anhelarunt, vel hanc virtutem profeſſi ſunt, vel cum illam exercere non potuerint ob aliquam publicæ, vel domeſticæ rei cauſſam, quoad corpus illam obſervarunt, ſtatim ac illis integrum fuit; ſemper tamen corde, ac deſiderio ſecundum ſtatum ſuum.

Hinc ſequitur in hoc fere infinito Virginum numero, licet Eccleſia nonniſi quarumdam illuſtriorum, magiſque communium Elogium efformaverit; plurimas dubio procul in qualibet regione adeſſe, quas cultu publico honorari permittit; ad quarum Panegyricam Orationem habendam explicandum eſt, quid Biblia, & Patres doceant de Virginitate; hujus enim virtutis elogium eſt etiam elogium illorum, illarumque, qui, vel quæ illam profeſſi, & profeſſæ ſunt, ſive in Regulari, ſive in ſtatu Sæculari, a quo præſcindimus, conſiderantes hanc unam virtutem, dummodo ſit immunis a noxis omnibus, quæ illius pretium imminuunt, & conjuncta ſit cum aliis virtutibus, ſine quibus nullius eſſet meriti coram Deo ſemper hac mente, & cum his conditionibus, præter ea quæ in morali Bibliotheca, ſub Continentiæ *titulo a nobis tradita ſunt; & ubi de Religioſis locuti ſumus, hic communem afferimus rerum copiam, quarum applicatio pendebit a ſingularibus circumſtantiis, quas vita, & actiones illius, qui vel quæ laudibus erit ornandus, vel ornanda, ſuppeditabit.*

PRO COMMUNI VIRGINUM

Sæcularium, & Regularium.

Ortus, & excellentia Virginitatis.

LIcet virtutes omnes ſe ſe oculis noſtris conſpiciendas præbuerint, atque, ut Sanctus Auguſtinus ait, abſit invidia verbo, ſeſe incarnaverint cum Filio Dei, ex quo ille corpus aſſumpſit, ut videretur in terris, & cum hominibus converſaretur: dici tamen poteſt puritatem, & virginitatem præ ceteris quibuſcumque hac donatas fuiſſe prærogativa; quia Verbum Æternum, quod eadem puritas eſt per eſſentiam in Sinu Patris, & quemadmodum eum appellat Scriptura fulgor lucis increatæ, non ſolum in mundo viſum eſt, ſed ex Virgine natum extulit vexillum virtutis hujus, quæ antea erat ignota. Ex eo tempore, Sancti Patres inquiunt, illius meritum agnoſci cœptum eſt, & laudibus cumulari virtutem ita nitentem, quæ pridem apud Judæos habebatur opprobrium. Poſtmodum enim illam amplecti viſa ſunt tot Virginum millia per aptiſſimam profeſſionem; & longe alii habiti ſunt conceptus de profitentibus illam, ab iis, quos gignere ſolet admiratio: quoniam per illam ſeſe ſupra humanæ naturæ conditionem elevarunt, & Angelis coæquarunt, qui hac in re plus quidem felicitatis, non autem plus fortitudinis, meritique habuerunt. Sed licet verum ſit, virtutem hanc æque nobilem, & pretioſam, ac delicatam, & fragilem ſexui utrique communem eſſe, tamen inficias ire non poſſumus, illam potiori titulo pertinere ad eum ſexum, cujus eſt ornamentum, & in quo maxime conſideratur: quoniam communis opinio in ea conſtituit apicem gloriæ ipſius in illa ſervanda, ut vitam ipſam pro ea tuenda effundere non vereantur. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Virgo poteſt comparari cũ muliere forti Scripturarum.

Haud ægre modo invenitur, Auditores, Mulier fortis, quam Salomon ſpectabat tanquam theſaurum, cujus pretium exoticæ omnes divitiæ exæquare non poterant. Hoc arduum ſane erat antequam Rex Virginum in terras deſcenderet, & tunc cum Virginitas habebatur tamquam obex honori, aliquid conferendi Meſſiæ naſcituro: Verum modo cum Meſſias novam tulerit legem, in qua animæ, corporiſque puritas unum conſtituit ex præcipuis præceptis, & virginitas unum ex præcipuis conſiliis: Eccleſia hodierna die nobis ob oculos ſubjicit Virginis exemplum, quæ de gloria, & fortitudine cum generoſiſſimis Martyribus certare poteſt; & in qua poſſumus affirmare adimpletum fuiſſe Salomonis Oraculum; quandoquidem ex tranſmarinis litoribus venit, ut de illa dici queat: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.*

Exemplum Sanctæ Virginis.

Perfectiſſimum, & abſolutiſſimum puritatis exemplar, quod in creatis apparuit, eſt glorioſa Dei Mater, virgo antonomaſtice, quæ ipſos Angelos ſuperavit. Hæc prima vexillum Virginitatis erexit per votum, quod omnium prima nuncupavit, ut judicari poteſt ex verbis, quæ dixit Angelo nuntianti futurum, ut ſinu ſuo Verbum æternum conciperet: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? (Luc. 1.)* Ita ſtatus virginalis puritatis inde ſuam hauſit originem, & ut ita dicam in eodem ſinu conceptus fuit, in quo Dei Filius, qui eadem puritas eſt, & ſplendor lucis æternæ, incarnatus eſt. Ita Sancti Patres loquuntur: dicunt enim, ſi Deus inter homines erat naſciturus, hunc ex Virgine naſciturum fuiſſe; & ſi virgini pariendum erat, hanc Hominem Deum fuiſſe parituram. *Recens Auctor.*

Alia exempla.

Ne hic omnia revocemus celeberrima elogia, quibus Sancti Patres beatiſſimam Virginem cumularunt, & quibus Evangelici ſuggeſtus toties perſonuerunt; luſtremus ſolum alia exempla, quæ nobis Lex nova ſuppeditat. Quam caſtus eſſe debuit ille, quem elegit Deus in Conjugem Mariæ, ut cuſtos eſſet & patronus puritatis ejuſdem? Quæ intercedere debebat ſimilitudo inter duas haſce perſonas, quas elegerat Deus, alteram quidem ut Mater eſſet ſua, alteram vero ut honorem Matris hujus tueretur per conjugis qualitatem, quam geſſit, & ut eſſet velut umbra Spiritui Sancto in conceptione Verbi incarnati? *Idem.*

Caſti ſunt Angelis ſimiles.

Venerunt duo Angeli Sodomam veſpere, &c. Geneſ. cap. 15. Qui Sodoma aufugerunt, Angelum habuerunt ducem, ut liqueret, Angelica virtute opus eſſe ad fugiendam ſenſuum voluptatem; & quo magis quis ab hac voluptate recedit, eo magis ad Angelorum conditionem accedere; caſtitas enim ſecundum Jeſu Chriſti verbum proprie virtus eſt Angelorum: *Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei. (Matth. 2.)* At qui longius ab hoc voluptatis genere recedere poſſunt, quam qui voto perpetuo, ultro omnem ſibi facultatem abſcidere? *Idem.*

Puritas nos ſupra naturam noſtrã attollit.

Eripe me de luto. Pſalm. 68. Quid majus, vel præſtantius dici poteſt ad gloriam virtutis hujus, quam illi acceptam referre facultatem eripiendi nos de luto, quod eſt origo naturæ noſtræ, ut nos attollat uſque ad Angelorum conditionem, & Dei ipſius militudinem? Hæc enim illa virtus eſt, quæ quodammodo corpus ipſum efficit ſpiritale, quæ nos a terrenis expedit curis, quæ pares nos facit cæleſtibus veritatibus contemplandis, & quæ reipſa erit de luto nos a ſenſuum voluptatibus divellens, quæ ſpiritum tanquam pecudem ſtupidum efficiunt, & hominem bruto ſimillimum? O Deus, quam dives, ac pretioſus theſaurus eſt Virginitas! Sed quantæ difficultatis eſt illum incolumem tueri? Hoc cæleſte lilium eſt, quo omnem pulcritudinem, & omnem Virginum ornatum conſtituit; ſed ut flos hic, & nitor ſervetur, irrigandus eſt lacrimis pœnitentiæ, & ne contaminata manus illum corrumpat, ſpinis ſepiendus eſt: *Amica mea ſicut lilium inter ſpinas. (Cant. 2.) P. Gentilis in libro, cui titulus: ſolitudo Virginum.*

Tuendæ puritatis adminicula.

En anima mea, tuendæ puritatis adminicula. 1. Mundi fuga, cujus aer tabidus eſt. 2. Senſuum tuorum mortificatio, qui ad voluptates lenem, violentamque ſimul habent propenſionem. Tibi extinguendæ ſunt vel minimæ tuæ cupiditatis ſcintillæ; una enim ſcintilla plerumque magna parit incendia. 3. Lacrimis tibi utendum eſt, ut olim uſus eſt ſanctus Auguſtinus; vigiliis, ut ſanctus Hieronymus; ciliciis, ut Eſther, & David; ſpinis, ut S. Benedictus; nivibus, & glacie, ut ſancti Bernardus, atque Franciſcus. Ecce quid tibi faciendum eſt, anima ſi vis eſſe caſta. Nunquid ergo mihi audienda eſt ſenſuum meorum repugnantia, qui perhorreſcunt ea, quibus mortificantur? Num tuta conſcientia ſequi cæce poſſum indulgentes directores, qui palpant corporis mei mollitiem, & fovent ſenſuum meorum rebellionem? *Idem.*

Sancta Noſtra nullam unquã prætulit infirmitatem.

Cum nulla unquam viſa fuerit infirmitas in incomparabili Sancta, cujus Elogium ſum habiturus; non verebor de illa dicere, quod inſignis quidam ſanctus dixit de Judith; naturam quidem illi ſexum tribuiſſe, ſed virtutem reliqua omnia in eadem efformaſſe. Cum autem fortitudo ex omnibus virtutibus illa ſit, quæ magis emicat, & majorem ciet admirationem, eo uſque ut virtus vocetur per quamdam prærogativæ, & præeminentiæ ſpeciem; ad texendum Sanctæ hujus Panegyricum, ſatis eſſet virtutem hanc vobis deſcribere vividis coloribus, ut ſimul fieret character Virginis, quæ temporum ſuorum miraculum fuit, & quæ oſtendit licet natura alterutri ſexui magis ſe liberalem præbuerit, gratiam tamen nequaquam hoc poſuiſſe diſcrimen in favorum ſuorum partitione; quandoquidem infirmior corpore ſæpe per ſpiritus, animique robur

ita

ita ſe extulit, ut eſſet aliis quidem exemplo, aliis vero probro, & verecundiæ. *Auctor Sermonum in omnia argumenta.*

Puritas corporis Deo placere non poteſt ſine puritate cordis.

Scio, Domine, puritatem corporis tibi ſine puritate cordis placere non poſſe. Scio jacturam fieri puritatis corporis, cum Spiritus pollutus eſt, licet ſine labe ſit corpus. Puritatis florem flacceſcere, & amitti unice ſenſuum voluptate; & inordinatum deſiderium cordis puritatem auferre; & inhoneſtam cogitationem quin perducatur ad effectum, animæ ſpeciem corrumpere; neque enim fas eſt cupere quod nefas eſt facere. Hoc me Domine docuiſti. Huic innixus principio putem me Virginem eſſe? Cor, corpuſque meum puritatem ſervarunt incolumem? Tu ſcis Domine; & hoc me coram te rubore ſuffundit. Angeli, qui meri ſunt ſpiritus, apparent non ſine macula in oculis tuis; filii Dei reſpexerunt formam alienigenarum mulierum, & puritatem ſuam amiſerunt. Sanctus Rex qui erat ſecundum cor tuum, imprudens oculos conjecit in objectum ab eo non videndum, & fœdavit nitorem purpuræ ſuæ, & polluit animæ ſuæ pulcritudinem. Puritas quam delicata virtus eſt! Specioſus quidem flos eſt, ſed quam facillime marceſcit! Domine amove a me quidquid mihi auferre poteſt integritatem meam, ac me in oculis tuis indignum efficere. Quam felix ero ſi ſervans puritatem, quam tibi vovi, ſim aliquando cum Virginibus, quæ circumſtant ante Thronum Agni! *P. Gentilis ex Solitudine Virginum.*

Nulla virtus eſt virginitate ſublimior.

Cum nihil ſit in Eccleſia virginitate ſublimius, nihil etiam Dei Filius accuratius ſuadet, verſutus diabolus diſſuadet, quam illam. Adeo nobilis eſt, atque ſublimis, ut plus Cæli habeat quam terræ, & magis Angelorum ſit, quam hominum. Hæc eſt quædam veluti præguſtatio, vel meditatio vitæ futuræ. S. Cyprianus ait: *Nihil aliud, quam futuræ vitæ glorioſa meditatio. (Cypr. de bono pudicit.)* Hæc infantia eſt, quæ ſemper viget, & in quam anni tyrannidem minime exercent: *Perſeverantia infantiæ.* Hic pulcherrimus eſt omnium triumphorum; quia victoriarum omnium maxima eſt voluptatem viciſſe: *Voluptatum triumphus: voluptatem enim viciſſe maxima voluptas eſt.* In aliis victoriis fortiores ſumus inimicis noſtris, ſed in puritatis victoria nos fortiores ſumus nobiſmetipſis, & gloriari poſſumus nihil nobis ſupereſſe vincendum, cum noſmetipſos vicerimus poſtquam de aliis victoriam reportavimus: *Qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed alter, qui libidinem repreſſit, ipſo fortior eſt.* Hinc J. C. inſpirat amorem hujus virtutis omnibus propius accedentibus ad illum; & vult uterque Joannes, alter quidem præcurſor, alter vero ſibi dilectus, mater, & ſponſæ ſuæ Virgines ſint. Videtur ille omnes ſtatus ſui divitias reſervare, Virginitatem remuneraturus; cumque difficilis ſit, illam glorioſam facit, ut ad illam omnes invitet. *P. Senault in Panegyrico Sanctæ Urſulæ.*

Dæmon omnibus utitur dolis, ut Virginitatis contemptũ vel timorem nobis injiciat.

Dæmon omnibus dolis utitur, ut homines a Virginitate deterreat; cumque ſciat per hanc Cælum frequentatum iri, & repletum iri locos, quos ipſe, ſuique ſceleris conſcii ante ſuam defectionem tenebant, nihil relinquit inauſum, ut illius contemptum, vel timorem injiciat. Modo nobis perſuadet, hanc puellarum partem eſſe, & ſtatum earum ſibi uſurpare velle, qui velit ſervare virginitatem; modo hanc ſibi tantum bonam eſſe, aliis vero ſtatibus eſſe inutilem; illam deſertam efficere terram, cumque non alia re commendetur, niſi difficultate ſua, inde haurit omne pretium ſuum, quod aliis crucem figit; modo hanc nobis negotium faceſſentem, modicum honorem afferre, & ſemper præliis implicitam, numquam certam eſſe victoriæ. Subnectit rationibus dolos, & ſexcentis tentationibus utitur, ut Virgines deterreat a conſilio ſeſe Chriſto devovendi. Facit ut earum caro contra rationem rebellet; ac inteſtino domeſticoque bello nititur, ut ancilla triumphum agat de domina. Voluptatibus utitur ad ſenſus earum palpandos, atque credulos hoſce nuntios decipiens, infidelibus eorumdem narrationibus animam ſeducere contendit. Utitur pollicitatiunculis, ac minis impudicorum ad eas fallendas, corrumpendas, ſimulque duas affectiones commiſcens, terrore ſuperat illam, quam ſpe corrumpere minime potuit. *Ibidem.*

Ad Sanctæ N. laudem ſatis eſt dicere illam fuiſſe Virginem, & Martyrem.

Licet mirum in modum arduum ſit SS. Elogium exornare, ac invenire verba, & cogitationes, quæ meritis illorum reſpondeant; mihi tamen videtur Sancta N. laudari, ubi dicatur Virgo, & Martyr fuiſſe; & huic elogio nihil addi poſſe tota Oratorum eloquentia, quia in Eccleſia nihil illuſtrius eſt virginitate, & Martyrio; Virgines enim ſunt imagines Dei, quæ reſpondent ſanctitati autographi ſui: *Imago Dei*, S. Cyprianus ait *reſpondens ad Sanctimoniam Dei.* Et ſi Patrum ſententiæ ſunt Oracula, credere tenemur, Virgines ipſis Angelis nobiliores eſſe, quia beatorum horum ſpirituum puritas effectus eſt felicitatis eorum, puritas autem Virginum effectus eſt gratiæ & virtutis. *Angelum eſſe, felicitatis eſt, Virginem, eſſe virtutis.* Maryres ſunt Heroes Eccleſiæ, & ſecundum Origenis ſententiam, *Plus eſt eſſe Martyrem, quam Apoſtolum.* Attamen Auditores, Sancta, quam vobis in Patronam delegiſtis, ita admirabilis eſt, ut elogium hoc quantumcumque ſit, merita illius non exæquet; & quod conſtituit cumulum gloriæ aliorum SS. nonniſi gloriæ ejuſdem principium conſtituat. Tanto enim amore proſequebatur virginitatem ſuam, ut oderit pulcritudinem ſuam; & per ſenſum non auditum, doleat ſe pulcram eſſe, quia timet, ne ſatis ſit pura; tanto fervore martyrium appetit, ut præcipuus ejuſdem dolor ſit eodem privari, & maximo æſtuet deſiderio illius quamprimum obtinendi. *Panegyricus P. Senault ex Oratorio Sanctæ.*

Illuſtris hæc Sancta

Illuſtris hæc Sancta haud neſcia, ſe a natura egregia donatam fuiſſe forma, fugiebat omnia mundi conſortia, & clauſa domi ſuæ latebat, ne fieret particeps peccatorum, quibus locum præbuiſſet, ſi ſe cuiquam conſpiciendam præberet: illam pudebat pulcritudinis ſuæ; hanc metuebat, & ſciens illam puritati eſſe inimicam, ejus occurſum quam diligentiſſime evitabat. Virginitas, Tertullianus ait, adeo mollis eſt, ut alienos oculos vereatur, & ſuos. Seipſam & ſociis ſuis, & ſibimet abſcondit; & videre, & videri timet, haud inſcia, par ubique periculum eſſe, ſi vel ſibi placeat, vel aliis: ſemet nemini oſtendit: *Sed enim vera, & ſola, & pura Virginitas, nihil magis timet, quam ſeipſam*, quia ſcit, donec ſeipſam non amoverit, non quæſituram eſſe, ut ab aliis ametur: *Etiam feminarum oculos pati non vult, alios ipſa oculos habet.* Non ſuſtinet ſe a mulieribus conſpici, vel quia ſuos, vel quia Dei oculos reformidat. Cur mihi non eſt Tertulliani eloquentia, ut illius ſenſus cum omni ipſorum pondere ac pulcritudine vobis exhibeam! Virgo, ait ille, quæ ſuam amat caſtitatem, confugit ad velum, tanquam ad loricam, vel clypeum, ut ſemet contra tentationum incurſus tueatur, contra ſcandala, contra rumorem obſcurarum ſuſpicionum, ſecretarumque obtrectationum, contra invidiæ & zelotypiæ tela, ſatis agnoſcens fieri non poſſe, ut aliqua ſimul & formoſa ſit, & ſuam formam oſtentet, quin & ſibi, & aliis omnibus officiat. *Idem.*

fugiebat hominum oculos, ne forte ſua eſſet alicui occaſio lædendi Deũ.

Sancta N. domo ſua pedem non efferebat, niſi neceſſitate cogeretur.

Sancta N. perfecte has omnes veritates edocta, nunquam domo pedem efferebat, niſi illam urgens neceſſitas cogeret; & ſive maneret domi, ſive domo egrederetur, ſemper velo ſuo tecta videbatur, ne virus hoc, quod inficit aciem oculorum, illam ipſam inficeret. Norat illa, non deeſſe crimina, quæ tunc committimus, cum ſumus in cauſſa, ut committantur ab aliis, & alia, quæ per deſideria cor committit, & quæ oculus ſuo obtutu perficit; norat quædam adeſſe ſine complice adulteria, & alia, in quibus ſine actionibus, & ſine verbis tamen uterque nocens invenitur. Norat denique eamdem animi ægritudinem, quæ efficit ut videamus, efficere etiam ut videamur; quod utrumque coram Deo nefas eſt: *Ejuſdem libidinis eſt videre, & videri. Panegyricus P. Senault.*

Nulla virtus fragilior caſtitate, cujus jactura nequit reparari.

Ex omnibus virtutibus nulla fragilior eſt caſtitate: Similis eſt floribus fructuum, qui ſtatim ac attinguntur, vitiantur; quippe ubi ſemel jactura illius facta eſt, reparari non poteſt. Patres antiqui hac in re ita fuerunt religioſi, ut inter illos non defuerint, qui crediderint puellam, quæ faciem aperiret ſuam, non eſſe amplius Virginem, & ubi oſtenderit partem hanc, quæ eſt veluti compendium ceterarum, jam puritatem amiſiſſe. Tertullianus ubique ſeverus, hac in occaſione adeo auſterus eſt, ut neget, puellam, quæ velum abjecit, virginem appellari poſſe, & putet illam ex hac dignitate deciſiſſe, ſimul ac formam ſuam ab aliis conſpici paſſa eſt: *Denudaſti puellam a capite; & tota jam ſibi virgo non eſt, alia eſt facta. Idem.*

Quid putandum de puellis, quæ non ſolum faciem ſuã detegunt, ſed & brachia, & humeros, & pectus.

Si effatum hoc verum eſt, & ſi Virginem decorare eſt, faciem ejus oſtendere. *Omnis publicatio virginis bonæ ſtupri paſſio eſt.* Si jacturam fecit puritatis ſuæ detegens pulcritudinem ſuam, quid ſentiendum erit de illis, quæ ſeſe ubicumque producunt; quibus ſatis non eſt velum auferre capiti, ac vultui ſuo, nudant etiam lacertos, humeros, pectus, & impudentiſſime objiciunt ſe impudicorum deſideriis? Nonne fatendum eſt, ſecundum Patrum ſententiam, has amiſiſſe caſtitatem, & ſolum nomen virginum retinentes, gloriam non habere, quoniam non habent ultra puritatem? Sancta N. cui de hac veritate ſatis erat perſuaſum, raro egrediebatur domo, & ſicubi inde pedem efferre cogebatur: tanta cura ſeipſam celabat, ut ſicuti in ſocietatibus ſilentium, ſolitudinemque ſervabat, in converſationibus, ac viſitationibus ſuam faciem obnuberet. Illam nihilominus ſua fefellit ſpecies: hic Sol lucem ſuam effudit per omnes nubes, quibus tegebatur, & tantum emiſit luminis, & caloris in univerſam terram, ut Sanctæ noſtræ plurimos amatores, cultoreſque peperit. *Idem.*

Forma parit funeſtos effectus.

Forma ſæpe nocens eſt, & ſi illius arma pulcriora ſunt, vere dici poteſt, illam non eſſe minus periculoſam. Quamlibet dulcedinem aperiat, ſimul etiam tyrannidem affectat. Illa ſibi procurare contendit mancipia: regnare vult in ſervientes ſibi, neque illud quærit, utrum nocentes faciat, modo comparet ſibi idololatras. Cenſet ut plurimum ſubditorum ſuorum cogitationes eſſe inhoneſtas, eorumque deſideria impudica, & amoris nomine turpem, obſcenamque voluptatem conquiri. Hac de cauſſa Tertullianus chriſtianis ſæculi ſui mulieribus crebro dicebat, deſiderium, quo flagrabant, placendi viris ſua pulcritudine, culpa vacare non poſſe; ſciebant enim eo in ſtatu, ad quem nos peccatum redegerat, formam plures pravas ciere cogitationes: *Non de integra conſcientia venit ſtudium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis ſcimus.* Quapropter addit, quandoquidem illæ profitebantur caſtitatem, illis non admittendum eſſe deſiderium, a quo illa impugnabatur, neque utendum hac prærogativa, quæ objiciebat homines tentationi, eoſque ad peccandum ſollicitabat. Vos, ajebat illa, in cauſſa eſtis peccati eorum, ideoque nocentes, & licet etiam vos illis nonniſi occaſionem præbuiſſetis, ſemper tamen eſſetis reprehendendæ, & exprobrandæ, *Id.*

De cultu fœmin.

Sancta N. ambigebat, utrum corã Deo innocens eſſet, quia locum fecerat adoleſcenti amandi eam, licet hoc

Hoc olim timorem incuſſit Sanctæ N. utrum innocens eſſet coram Deo, quia adoleſcentulo amoris locum præbuerat licet hoc contra ipſius mentem eveniſſet. Nullum ſolatium admittebat, quod amatorem erat adepta, quin vellet; ſontem ſe putabat, quia illi placuerat. Verebatur, ne ſatis delituiſſet, & ne ſatis cultum ſuum neglexiſſet: quandoquidem in vultu ſuo tantum decoris reliquum erat ut in illius corde flammas ac-